





Q. D. B. V.

72

CICERONIS

PHILOSOPHIAM

MORALEM,

In Electorali ad Albim Academia,

SUB PRÆSIDIO

JOH. CHRISTOPHORI

Sugmanni /

Publico Eruditorum Examine

D. 16. Februarij Anno M. DC. LXXVIII.

sistit

RESPONDENS

THEODORUS *Böhme* /

Krögenfis Misnicus

In Auditorio Majori

Horis Antemeridianis.



WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.



ILLUSTRI ac GENEROSISSIMO
DOMINO
DNO. JOACHIM
CHRISTOPH. à BOSEN,
In Schleinitz und Kunstädt Dynastæ,
Sereniss. ac Potentiss. Electoris Saxon.
Comiti Splendidissimo, & Scholæ Electoralis
ad Albim Inspectori gravissimo
Dno. meo gratioso

*Eâ, quâ par est, animi submissione, hæc pri-
mitias Academicas in studiorum jucundum
solamen deponit*



Subjectissimus Cliens

THEOD. Böhme / Krögenf. Misn.

CAPUT I.

Ciceronis Laus.



AD summos pervenire honores propriâ virtute, neqve gloriari de majorum nomine & splendore, magna atqve difficilis est ratio. Cicero novus homo in illa Rep. quæ vix alium, quàm ex nobilium gente amabat Consulem, Consul unâ voce ab universo populo Romano declaratus est. A primo tempore ætatis juri studuit, ut aliquan-

do omnis juris atqve æqvitat^{is} vindex existeret. Probrosum est, atqve cum publicæ rei detrimento conjunctum, si Rempubl. gubernantes in explicandis civium juribus, in dirimendis litibus, in perspicienda æqvitate, quâ nihil accommodatius est ad hominum societatem colendam, alios adhibent in sententiam, neqve ipsi norunt, quid juri ac æqvitati conveniens sit. Sicuti autem Magistratum decet facundia & sermonis elegantia: ita nemo dubitat, quin Consul hic princeps eloquentiæ jure optimo vocetur: omnem laudem Oratoris consecutus, de parvis submissè, de modicis temperatè, de magnis graviter dixit, atqve orationem prout voluit, variare potuit. Laudatur Demosthenes tanquàm magnus Orator, sed ille ex Oratorum scholis prodiit: majore igitur laude dignus, qui in urbe Roma primus Orator appellatus, qui primus ad verum eloquentiæ studium suos excitavit. Ex ejus literarum monumentis adhuc hodie instruuntur Oratores, & multum profecisse æstimatur, cui Cicero placet. Incidebat turbidus Romanæ rei status, quò, consilio nullò, aut operâ prodesse poterat; quid faciendum igitur tunc putabat? non desidiæ, quæ in tam divinum ingenium non ca-

C. Mariu VII

q sua unig prude
nihil, temeraty.

quo nihil ratio
inventor d'p'centi
oratore

L. Junig Bruty
Co: p. 300 Appio C
C. Sulpicij Gallo, S

ubi gravis p'culu
plura de averrun
malo p legitima me
requirit q' filia
lo q'libet guberna
bellu q' hio gero

I

n.



hypocriti, aduervi

dit, non mœstitiæ, cui resistit sapiens, sed literis sese dedit. Otium prætereà ad negotium contulit, dum tempus, quod ludis feriisqueve destinatum scribendô consumsit, ut ita non minùs otii, quàm negotii rationem haberet: Ex quo factum, ut nemo Orationum, neque Græcorum, neque Latinorum, tam multa scripserit, quàm hic noster. Singulare illud, quòd in Republ. gubernanda, tuenda, conservanda, non suæ prudentiæ confidit, sed DEUM immortalem in præsidium precibus invocat. Non itaque à pietate Christiana alienum erit, his afflictis temporibus DEUM precari, ut tueatur adversus hostes sacrum Romanum Imperium, ut conservet sanctam Rempublicam, id est, Ecclesiam. Quanta autem merita transtulerit Cicero in publicam salutem, vel ex hoc unico patebit, quòd ejus ^{obitus} ^{Flor. l. 4. c. 2.} discessus funus Reipubl. dictum, ejus reditus omnium gratulationibus exceptus: Patriæ patrem esse oportet, quem hæc concomitatur infelicitas, vel felicitas.

vide p. 1. d.
III. Tusc. Q. 1. 1.
long et absens pro viri
in celebris infelicitas
est

CAPUT II.

Cicero Stoicis inhæret.

hic et ver authenticus testis Cicero
et qd opat id asserendū vobis
de Stoicis
in Tusc. Quest.
l. 4. c. 4.
Offic. l. 2. c. 17.
in caler
ena addicendum
et exterminandum.
nehorby ad rom
Tusc. Quest.
l. 1. c. 17.
ventis facile bona
addit id s. p. ligandū
avlos e. q.

Liberum se profitetur Philosophum Cicero, nullique certæ sectæ addictum: *Defendat quidem, quod quisq. sentit: sunt enim judicia libera: nos institutum tenebimus; nullisq. unius disciplina legibus adstricti, quibus in Philosophia necessario pareamus, quid sit in quaq. re maxime probabile.* Ad libertatem illam probandam facit illud, quò se Panætium secutum esse, non interpretatum dicit. Qui enim rectè philosophari vult, non auctoritate niti debet, sed rationibus, suumq. adhibere iudicium, ut, quæ vera, quæ falsa ab aliis dicta sint, cognoscat. Sane illud Pythagoreorum *αὐτὸς ἐστὶν ἕνα* ex omnibus sapientiæ officinis à quolibet veritatis cultore exterminandum, profligandumq. est. Quare non audiendus Ausidius, ita Ciceronem alloquens: *Errare mehercule malo cum Platone, quem tu, quanti facias, scio, et quem ex tuo ore admiror, quam cum istis veri- tati facias, scio, et quem ex tuo ore admiror, quam cum istis veri-* *errantibus vera* *ita scilicet de Virgilio* *2. totum qd asserit et simpliciter refutandum sentire.*

sentire. Habet ille adhuc hodie sectatores suos, qui, nescio quod affectu, quâ dulcedine animi alleciti, à præceptoris falsis sententiis non recedunt, cogitationibus vim inferunt, eaque propugnant, quæ aliter esse, evidentibus argumentis demonstrari possunt. Et verò, si aliter sentiunt, aliter loquuntur, in majori sunt vitio, quod destinatio animo & consilio falsa pro veris jactant. Sed dicamus, quod res est, nimis inhæret Stoicis Cicero, quod & ipse fateri cogitur, dum solam Stoicorum auctoritatem sufficere putat; Hæc formula Stoicorum rationi (loquitur de honesto, quod honestum utile esse dicit, nec quidquam utile, quod non honestum) disciplinæq; maximè consentanea, quam quidem propterea sequimur. Imo scripta omnia satis probant nostrum assertum.

2 in scientiâ atq; in vitio morali, dicitur virtutem illam inveniunt

Offic. l. 1. c. 5. non auctoritate, dicitur ab ipso suggestum

Tres facit Philosophiæ partes. Philosophia in tres partes est distributa, in naturæ obscuritatem, in differendi subtilitatem, in vitam atq; mores. Per naturæ obscuritatem intelligit doctrinam Physicam, & sub eâ omnem Philosophiam speculativam: per differendi subtilitatem Logicam, quæ acutè differere, discernere, dijudicare docet; per vitam atq; mores indigitat totam Philosophiam practicam, & imprimis Ethicam, quæ nostram vitam rectè informat, nostros mores, ne extra honestatis limites evagentur. Quam benè autem ad Philosophiam referatur Logica, aliò locò disputatur: est enim illa disciplina notionalis, modum ostendens circa res versandi, non realis, res ipsas tractans atq; explicans. Neq;ve Logica est habitus principalis, sed instrumentalis, subserviens superioribus disciplinis, hancq;ve ob unicam causam addiscitur.

Orator. lib. 1. cap. 15.

Virtutes quatuor statuit, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Omne quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri, solertiaq; versatur; aut in hominum societate tuenda, tribuendo suum cuiq; & rerum contractarum fide; aut in animi excelsi atq; invicti magnitudine, ac robore; aut in omnium, quæ sunt, quæq; dicuntur,

Offic. l. 1. c. 5.

I 2 ordine

tu scilicet de virgilio

Offic. l. 1. c. 43. ordine & modo, in quo inest modestia, & temperantia. Et vicissim: Omnis honestas manat à partibus quatuor, quarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis. Quæ verba à prioribus lucem accipiunt, ut per cognitionem intelligatur prudentia, per communitatis partem justitia, per magnanimitatem fortitudo, & per moderationem temperantia. Hæ quatuor virtutes jam inde à tempore D. Ambrosii & Hieronymi cardinales dici solitæ sunt, quòd his virtutibus veluti cardinibus reliquæ omnes fulciantur.

Offic. l. 1. c. 20.

In sola honestate bonum collocat: Solum id, quod honestum sit, bonum iudices; & omni animi perturbatione liber sis; Nam & ea, quæ eximia plerisque & præclara videntur, parva ducere; eaque ratione stabili, firmaque contemnerè, fortis animi, magnique ducendum est; & ea, quæ videntur acerba, quæ multa & varia in hominum vita, fortunaque versantur, ita ferre, ut nihil à statu naturæ discedas, nihil à dignitate sapientis, robusti animi est, magnaque constantia. Ubi & illud de statu naturæ Stoicè dicitur, quod aliàs non unà loquendi formulâ exprimitur: secundum naturam vivere, convenienter, congruenter naturæ vivere, naturam sequi, sibi constare, se DEO tradere, DEUM sequi. Neque minus illud, quod de dignitate sapientis effertur, ad Stoicorum scholam revocandum est, de quo postea. Dum verò solum honestum bonum esse statuitur, porrò alloquitur Filium Cicero:

Offic. l. 3. c. 7.

Ego à te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si potes, nihil præter id, quod honestum sit, esse propter se expetendum.

Offic. l. 3. c. 3.

Manavit hæc de honesto sententia à Socrate ad Stoicos, quod Cicero his verbis notum facit: Accepimus Socratem solitum execrari eos, qui primùm hæc, naturæ coherentia, opinione distraxissent. Cui quidem ita sunt Stoici assensi, ut etiam quicquid honestum esset, id utile esse censerent, nec utile quidquam, quod non honestum.

Leg. l. 1. c. 12.

Et vicissim: rectè Socrates execrari eum solebat, qui primùm utilitatem à naturæ se junxisset. Verum enim verò sanitatem nemo utilem esse negabit, quæ tamen honestorum bonorum sensu non venit. Sic medicamentum utile est, & ad conservandam,

bonum & utile. Sanitatem nemo utilem esse negabit, quæ tamen honestorum bonorum sensu non venit. Sic medicamentum utile est, & ad conservandam,

servandam, & restituendam sanitatem, honestatem tamen in se non continet. Quæ verò impulerit ratio, ut ita sentiretur, docet Stoicorum Coryphæus Seneca: *Nil bonum nobis videtur, quò quis & malè uti possit. Nec nisi cum honestè administrata sunt, bona esse incipiunt.* Cur igitur tantas opes, tantas divitias habuit Seneca, si illæ nullam utilitatem præstant? Respondet ipse pro se: *Non quia bona sunt, sed quia secundum naturam sunt, & quia bonò judiciò sumuntur. Quod erit in illis tunc bonum? hoc unum, bene eligi.* Non adhibebant distinctionem Stoici inter bonitatem moralem & naturalem: illa soli homini, dum animæ rationalis capax est, competit: hæc & aliis rebus competit; quæ verò omni moralitate non destituuntur. Omnis enim actio præsupponit materiam, in qua versetur; quare homo, quando aliquid agit, habeat materiam necesse est, quam tractet: ita cibus, potus, divitiæ, sunt singularum virtutum objecta. Neque tunc sub alia notione hæc talia veniunt, quàm prout actioni substernuntur. Hoc unicè curat recta ratio, ut actiones nostras ita perficiat, nè vel excedendò, vel deficientò honestatis limites egrediamur. Longè aliter Aristoteles sentit, qui in honestis actionibus quidem summum bonum collocat, sed plura etiam ad ejus complementum subsidia requirit, ut vel sint instrumenta, vel ornamenta. Concipe divitias, instrumentum habebis ad exercendam liberalitatem: siste tibi longævam vitam, habebis ornamentum summi boni. Hinc Cicero ait: *Aristoteles virtutis usum cum vita perfectâ prosperitate conjunxit.*

Laudat sapientem, qui rectius magister populi, (is enim est dictator) quàm Sulla, qui trium pestiferorum vitiorum, luxuria, avaritia, crudelitatis magister fuit: rectius dives, quàm Crassus, qui, nisi eguisset, nunquàm Euphratem nullâ belli causâ transire voluisset. Rectè ejus omnia dicentur, qui scit uti solus omnibus. Rectè etiam pulcher appellabitur; animi enim lineamenta sunt pulchriora, quàm corporis: rectè solus liber, nec dominationi cujusquam parens, neque obediens cupiditati; rectè invictus, cujus

Epist. 118. ad Zenonem
filium, qui
sentit in
ca et in
ratione
quod

Epist. 92.

divina, mentis
lice, etc.

de fortitudine

Fin. l. 2. c. 6.

Fin. l. 3. c. 22.

etiamsi corpus constringatur, animo tamen vincula injici nulla possint. Scilicet ex Stoicorum sententia sapiens, prudens, ex morum præceptis omni virtute exornatus vir, instar Regis est, nemini subjectus, à publicis negotiis abstinens, pro sua voluntate vivens: quod si verò tali sapienti libertas denegari videtur, corporis, non animi imperium cessabit.

Hinc inde mentionem facit officii perfecti & medii; illud sapientis proprium esse, hoc in alios quoque cadere, quos vulgus ex virtutis perfectæ ratione vivere putat, qui verò à virtute perfecta multum absunt. Hæc divisio certò modò cū Aristotelica comparari potest, quæ aliæ virtutes perfectæ, aliæ imperfectæ ponuntur.

corby et auctoritate
re graviter
pugnat
by prudente. avlo
oid. sumum piculu
epido aie aggredij e
h, gestia cultisayg
u.

à servitute capti
te et vita civilis
nima no liberat
atos no civilis reddi
saperit virtus e. et
Xenia v. gr. saulem
n. 31 ne illuderent
ly ejsem vivo

Epist. famil.
l. 6. ep. 4.
Orat. pro Mi-
lon. c. 23.

Seipsum interimere non in vitio ponit, in primis si vitæ constantia accedit, qualem constantiam deprædicat in Catone, mortem sibi accersente. Sed jus divinum, atque jus naturæ aliud probant. DEUS enim dixit: non occide, & natura dictat: teipsum conserva. Hinc Magistratus civilis vitam nulli adimere potest, nisi propter delictum, ut ajunt, capitale. Neque facienda mala, ut inde eveniant bona. Malè igitur egere hoc seculò nostrò virgines Magdeburgicæ, in Albim profilientes, ne in hostium venirent potestatem, decusque virginitatis amitterent. De melancholicis autem, qui seipso interimunt, aliter sentiendum, neque enim damnandi sunt illi, neque honestâ sepulturâ privandi, in primis, si benè antea vixerint.

Cum Stoicorum principiis conveniens est, quando dicit: Conscientiam rectæ voluntatis, maximam consolationem esse rerum incommodarum; nec esse ullum magnum malum præter culpam. Cum quo consentit illud: Magna vis est conscientia, & magna in utramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiserint, & poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. Conscientia bona semper tranquillum animum facit; mala turbidum: delectari atque gaudere hominem honestis actionibus, & laudabili proposito videmus, agitari contra & perterrerì suò quemque scelere, suis malis cogitationibus:

Su

Sua quemq; fraus, & suus terror maxime vexat, suum quemq; scelus agitat, amentiaq; afficit: sua male cogitationes, conscientiaq; animi terrent, haec sunt impiis assidue, domesticaq; furia. Loquitur haec talia ethnicus, quæ Christiani ore nullatenus indigna sunt.

Orat. pro S.
Ros. c. 24.

In doctrina de affectibus paria cum Stoicis facit: *Ut amur,* inqviens, *in his perturbationibus describendis, Stoicorum definitionibus, & partitionibus: qui mihi videntur versari acutissime.* Sed quomodo acutè versari possunt in describendis, definiendisq; affectibus, dum illis mediocritatem denegant? Hinc Stoicorum princeps *Seneca: Utrum satius sit, modicos habere affectus, an nullos, saepe quaesitum est. Nostri illos expellunt.* Affectus quidem saepe renuunt moderari: dum enim recta ratio persuadendò ad honesta invitat, imperium istud civile excutere nituntur affectus. Dum etiam sibi proponunt aliquod jucundum, ab eodem sese non patiuntur abduci: hinc & abluditur ab honestate. Sed licet anima sensitiva rapiat affectus; nihilominus tamen rectæ rationis judiciò temperari possunt. Hic enim attenditur primò pugna, quæ est inter rationem & affectum: ratio honestò atqve pulchrò; affectus inhonestò atqve turpi capitur. Deinde occurrit victoria, palmam tenet practicus intellectus. Denique datur obsequium, affectus practici intellectus judicio sese submittit. Et nonne in Deum iniqui sunt Stoici, qui motus atq; stimulos animo humano à natura impressos tollunt? Certè ipse DEus uti peccatis nostris irasci: ita quoqve gaudere conversione hominum ad salutem dicitur. Quare hinc loci non intelliguntur illi affectus, qui nullum medium admittunt, ipsoq; nomine pravitatem involvunt. Porro quomodò in partiendis affectibus acutè versari possunt Stoici, dum ejusmodi subtilitates sectantur, tot divisiones apprehendunt, quæ omnem doctrinam confundunt? Testis est ipse *Cicero: Hoc inqviens locò nimium opere consumitur à Stoicis, maxime à Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo.* Neqve verò

Tusc. Quest.
lib. 4. cap. 6.

Ep. 116.

Tusc. Quest.
lib. 4. 10.

Cicero

Cicero nimium omisit studium in dividendis subdividendisque affectibus, prout lectori patebit ex libris ad hanc Philosophiam spectantibus.

Acad. Quest.
l. 1. c. 7.

Cum Stoicis eadem sensit de fato: *DEum appellant, omniumque rerum, quæ sunt ei subjecta, quasi prudentiam quandam, procurantem cœlestia maximè; deinde in terris ea, quæ pertinent ad homines: quam interdum necessitatem appellant, quia nihil aliter possit, atque ab ea constitutum sit, interdum quasi fatalem, & immutabilem continuationem ordinis sempiterni.* Vana est hæc Philosophia: utitur enim homo libera agendi facultate, quæ & ad virtutes, & ad vitia aptus est. Si itaque honestati studes, consequeris summum bonum, si turpitudini deditus es, in miseriam prolaberis. Ex tua itaque voluntate aut beatus, aut miser es.

Offic. l. 1. c. 27.

Cum Stoicis peccatis æqualitatem inesse statuit. *Falli, errare, labi, decipi, tam dedecet, quam delirare & mente captum esse.* Sed satis manifestum est, majus dedecus esse insaniam,

Offic. l. 1. c. 7.

quam qualemcunque errorem. Sic quando dicit: *Qui non defendit, nec obsistit, si potest, injuria, tam est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat,* paritatem peccatorum iterum probare nititur. Neque tamen ad eadem omnibus officia præstanda obligati sumus: non igitur æquales erunt injuriæ; civi magis obligatus es, quam peregrino; majorem injuriam facis, si parentes, quam amicum deseras, & dum patria omnes caritates, omnes necessitudines complectitur, in maximò erit vitiò, qui contra illius salutem agit. Neglexere Stoici circumstantias in magnitudine delicti perpendendas; hinc non aliter potuere

Parad. 3. c. 1.

pronunciare. Falsum enim est, quod dicitur: *Quàm longè progrediare, cum semel transieris, ad augendam transeundi culpam, nihil pertinet.* Sunt gradus vitiorum, dantur imperfecta vitia, dantur communia, occurrunt, quæ longissimè ab omni humanitate remota sunt. Quia verò in Moralibus ex circumstantiis judicium ferendum, illud cum veritate non stabit: *Æquè peccare se, si privatis, ac si Magistratibus manus adferant.* Nam in

Parad. 3. c. 2.

Magi-

Magistratus vita violanda, violatur, qui ob singulares virtutes eminent, is qui Reipubl. negotia curat, is à quo civium dependet salus, is qui majore cultu, honore, atque reverentiâ afficiendus, quam genitor. Multitudine peccatorum præstat, eoque poenâ majore dignus est. In hac verò sententia dubius est Cicero: *Quæ multum ab humanitate discrepant, ut si quis in foro cantet, aut si qua est alia magna perversitas, facile apparent, nec magnoperè admonitionem, & præcepta desiderant; quæ autem parva videntur esse delicta, neque à multis intelligi possunt, ab his est diligentius declinandum.* Verba satis apertè discrimen constituunt inter magna atque parva delicta seu peccata; illa à quo vis intelligi, hæc non nisi à prudente dijudicari posse. Cæterum de honestis moribus loquitur Cicero, qui neminem in foro cantare putat. Hodie in Academiis, omnis probitatis, omnis honestatis officinis, ex vitio seculi perversos vides, qui cantus, boatis atque mugitibus haud absimiles, emittunt. Ad imparitatem & inæqualitatem peccatorum probandam facit illud: *Si is, qui non defendit injuriam, neque propulsat à suis, cum potest, injustè facit, qualis habendus est is, qui non modò non repellit, sed etiam adjuvat injuriam.* Progreditur, uti in scholis loquimur, à minori ad majus: injuriam non arcere, ubi poteras & debebas, minus est flagitium, quam injuriam ab aliis illatam fulcire, & suâ operâ adjuvare.

De morte nostra, & de providentia divina prorsus præclara habet Cicero: *Si quid tale acciderit, ut à DEO denuntiatur, videatur, ut exeamus è vita, leti, & agentes gratias pareamus, emittique nos è custodia, & levari vinculis arbitremur, ut aut in æternam & planè in nostram domum remigremus, aut omni sensu molestiaque careamus: sin autem nihil denuntiabitur, eò tamen sumus animò, ut horribilem illum diem aliis, nobis faustum putemus, nilque in malis ducamus, quod sit vel à Diis immortalibus, vel à natura parente omnium constitutum.* Senecæ scripta, & imprimis ejus epistolas, si quis evolverit, plura in hunc sensum dicta

K

reperiet:

Offic. l. 1. c. 39.

Offic. l. 3. c. 18.

Tusc. Quest. I
cap. 49.

reperiet : quæ verò à mente Christiani aliena non sunt ; Si DEUS aliquem evocaverit obitu ex his miseriarum turbis , cur non sponte ad cœlestia , ad æterna gaudia veniret : non ibi premitur vitiosis corporis affectibus, sed in DEO, ubi suum receptaculum habet, ab omni labe purus suum gaudium quærit. Hunc diem, quò relinqvendus mundus, impiis, vitam suam omni turpitudine atqve flagitio contaminantibus , mœrorem & tristitiam afferre novit; sibi ex morum rectitudine, honestate, & virtute viventi, tanquam pio, immensum expectandum esse gaudium atqve lætitiã. Certus etiam est, quæ sibi DEO, & naturâ jubente, eveniant, non in malorum, sed bonorum numerè reponenda esse. Sive igitur mors certis signis antè denunciata sit, sive obrepat, ultimumqve vitæ halitum inopinato auferat, ingrata esse nullò modò potest.

CAPUT III. De Prudentia.

*Tusc. Qv. l. 2.
6. 13.*

ORdine agendum de virtutibus est, occurrit primò Prudentia dirigens omnes virtutes, atqve est principium honestarum actionum: nam *sine prudentia ne intelligi quidem ulla virtus potest.*

Consol.

Hæc uti rectè sese habent : ita inconvenienter prudentia numeratur inter virtutes Morales, cum sit intellectualis habitus. Senilis ætatis propriam facit prudentiam, quoniam constat multarum rerum usu, qui in juvenilem ætatem cadere nequit. Hinc fit, ut suâ prudentiã ubiqve emineant Herôes senes & in pace, & in bello. Respice Augustam Imperatoris aulam. respice Principum Consiliarios, atqve Administros. Natura ita hominibus consulere voluit, ut, quam defectionem virium in corpore efficeret, in animo restitueret.

Offic. l. 1. c. 6.

Tam latè extendit vocem prudentiæ, ut non omnem tractet Philosophiam solùm, sed etiam omnium rerum cognitionem.

nem : ad prudentiam enim refert Astrologiam, Geometriam, Dialecticam, jus Civile.

Longè aliter nostrates, qui prudentiam tam propriam judicant esse Philosophiæ practicæ, ut planè cum theoretica convenire non possit. Annon verò prudentia est habitus intellectus, cogitationem motumque animi respiciens? Hoc quidem verum, sed habitus intellectus integer servatur, etiamsi cum actione jungatur. Non enim prudentiæ, ratione subjecti, cui inhæret, actio competit, sed ratione objecti, atque finis, qui non nisi agendò acquiritur. Quid judicandum de Dialectica, & quomodo illa pars prudentiæ minimè constituenda sit, per se patet. An enim si syllogismos conficis, si adversarium fallacibus argumentis circumvenis, vel ipse fallacias & fraudes adversariorum animadvertis, honestatem in rebus agendis observabis: Ni fallimur, optimus Logicus sine prudentia nomen suum tuebitur. Jus autem civile, si ad Philosophiam practicam pertinet, est pars doctrinæ Politicæ, non Moralis.

CAPUT IV.

De Fortitudine.

Fortitudo alia est togata, alia sagata: illa pacis; hæc belli tempore obtinet. Quòd si quæras, quænam præferenda sit, utique urbanis, non bellicis rebus debetur laus.

Sed ex suprâ dictis de Aristotelis Philosophia Morali constare potest, quòd fortitudo illa, quo vocatur togata, proprio sensu talis non sit: ubi enim nullum adest vitæ periculum, ibi fortitudo poni non potest.

Solius honestatis causâ vir fortis pericula subit, non commodo utilitati que inservit. Hoc est, quando ait: *Gratissima laus eorum factorum habetur, quæ suscepta videntur à viris fortibus sine emolumento ac premio.*

Plerumque hodie fieri solet, ut parùm curet miles causam belli, an justa, an injusta sit, sed pro opinione sua, quâ ex licentia vivere, quâ prædam facere cogitat, sub hoc vel illo Duce militat.

Offic. l. 1. c. 22.

Orator. l. 2. cap. 85.

Offic. l. 1. c. 21.

Fortitudini annectit gloriæ contemptum, quia nihil in bonis ducendum, quod non honestum.

Hic ex sua mente philosophatur Cicero; bene autem insequentibus colligit, illud genus hominum valdè fructuosum esse, quod ad Rempublicam sese accommodat, neque illum, qui instructus à natura est ad Remp. administrandam, rectè facere, si fugiat munus, quoniam publica salus exposcit rerum administratores. Imo potest aliquis cogi ad munus suscipiendum. Sit Miltiades fortissimus Heros, hoste externò turbetur Resp. atque destituatur Duce ad regendum militem, nemo dicet, Miltiadi munus assignatum defugere licere. Rectoris munus in Academiis splendidum atque magnificum est, si quilibet Dominorum Professorum, quòd vel timendi labores, vel metuenda animorum offensio, illud detrectare velit, non subsistet salus publica: tali casu justa excusationis causa adfit oportet, ut aliquis valetudinis imbecillitate, aut aliquà graviore causà impediatur ab administratione, cum fasces atque dignitasque concedenda.

CAPUT V.

De Temperantia.

Fin. l. 4. c. 23.

Proprium temperantiæ munus vult esse, ut in prætermittendis voluptatibus cernatur: Rectè: non enim facile metuendum, ne aliquis in appetendis voluptatibus deficiat: ergò voluptates Veneris, voluptatem in edendo atque bibendo non æstimabis.

Offic. l. 1. c. 30.

In temperantia colenda hoc suppeditat præceptum, ut homo cogitet, quantum bruto antecedit, & quàm turpe sit diffluere luxuriâ. Vituperant exteri Germanos, quòd præter modum capiantur potandi libidine. Certè hoc vitium undique grassatur, atque contagione veluti à summis viris ad plebejum hominum genus venit. Nonne in aulis Principum laudatur strenuum

num

num illud potare, quando unò haustu tantum vel vini, vel cerevisiæ bibitur, quantum amphoræ implendæ sufficiat? Nonne sunt, qui edendò, bibendò suum agunt munus, & magnâ dignitate (si dignitas dicenda, quæ vitio debetur) fruuntur? Sed quod valde dolendum, inficiuntur hòc vitio subditi, ebriosis vociferationibus ubiqve utentes. Illud genus hominum non re, sed nomine sunt homines, cum illa nobilissima particula, ratio nimirum destruat.

CAPUT VI. De Justitia.

Justitia proficiscitur à jure: jus autem triplex constituitur, ut aliud sit jus naturæ, aliud consuetudinis, aliud civile: Sed juvat adscribere verba Ciceronis: *Ejus (justitiæ) initium, est ab natura profectum: deinde quædam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt: postea res & ab natura profectas, & ab consuetudine probatas, legum metus & religio sanxit.* *Invent. l. 2. cap. 53. conf. c. 22.*

Juris naturæ exempla clarissima sunt, DEum cole, parentibus debitum præsta officium, erga amicos, & quos sanguine junctos habes, liberalem te præbe, injuriam, quæ aliis infertur, propulsa, superiores cultu & honore dignare. Hæc talia non opinio, sed natura ipsa inseruit.

Consuetudinis jus à natura initium petit, usu autem augeatur, homines etiam sæpius quædam in mores inducunt, ut sola consuetudo rem approbare videatur. Illud jus pro varietate locorum variat, indeqve ipsum varium est. Consuetudinis exempla sunt, quòd post mortem patris hìc dimidia, alibi tertia pars bonorum matri adscribatur, quòd hìc Doctor ex suo nomine magnam prærogativam obtineat, alibi non. Hæc ex hominum more æstimari, quis non videt?

Juris civilis formam exhibet Imperator Justinianus, novis autem constitutionibus multa inducuntur, & sunt, qui juris civilis

compendia tradunt, tantum ad usum & consuetudinem hodiernam sese accommodantes, non ea explicantes, quæ faciunt ad veterem Romanorum statum.

Herenn. lib. 3.
cap. 2.

Justitiam definit per æquitatem, & rectè quidem: æquitas enim non est distinctum aliquod jus, sed tantum recta explicatio juris, ne forsan ex stricto jure inferatur injuria. Hic nobis nihil negotii est, cum rabulis forensibus, qui neque rationem æquitatis perspiciunt, neque norunt, quid jus sit, aut quid justitia postulet, nudis verbis, nudis vocibus inhærentes jus pervertunt, æquitatem tollunt. Quid justitia observet, ita edocet: *Justitiæ primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacesitus injuriâ, deinde ut communibus pro communibus utatur, privatis autem, ut suis.*

Offic. l. 1. c. 7.

Nemo lædendus est, nisi justa causa læsionis adsit, ergo sequitur, licere adversus alium se defendere, injuriam repellere, & si injusto occidendi animo in te impetus fiat, invadentem interimere. Ordinata charitas incipit à seipsa, & quoniam vita res maximi pretii est, tanto magis illam defendere laborabis, neque hostis potestati & ludibrio expones. Admittit verò regula ex moderamine Christiani amoris limitationem aliquam: non enim quævis injuria vindicanda est, beneficiis interdum inimicus, qui nocuit, & nocere cogitat, afficiendus est, ut per beneficiorum multitudinem, & ipse benefacere discat.

Res sunt vel communes, vel propriæ. Communes sunt, vel omnium hominum, vel cujusdam Reip, vel societatis; huc spectat titulus Jctorum de rerum divisione & acquirendo ipsarum dominio. Justè tunc agitur, quando res communes ad proprietatem non veniunt, quando rebus communibus aliquis ita utitur, prout jus communionis exigit. Privatæ autem res licet à te domino possideantur, libera tamen dispositio publicæ necessitatis & utilitatis gratiâ, jure inliberi potest.

46

Pergit porro: *Sunt autem privata nulla naturâ: sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoriâ,*

ria, & quæ alia sequuntur. DEUS hunc in mundum pulcherrime exstructum primum hominem, tanquam Dominum rerum omnium introduxit. Jus igitur ratione universalis dominii in Adamo coepit, & per hunc posteris concessum est: sed particulare dominium acquiritur, vel factò hominis interveniente, vel ex dispositione legis.

Occupatio vetus atque justus est titulus rem possidendi: hinc tritum illud: *Quod nullius est, occupantis fit.* Hodie per rationem civilis societatis multum receditur ab usitata veterum sententia; venationes, aucupia, piscationes liberam concedebant possessionem per jus occupationis, nunc multis modis jura illa circumscripta sunt.

Victoria facit, ut devicti res cedant in præmium victoris. Olim jure gentium devicti in servitutem redigebantur, nova humanitas illam immanitatem prohibuit.

Justitiæ adjungit liberalitatem, quam duobus modis præstari docet, aut operà, aut pecuniâ. Non est hæc sententia contraria menti Aristotelis, qui ea omnia ad liberalitatem refert, quorum pretium hummus metitur. Sed quando addit, illam, quæ operà fit, liberalitatem præstantiorem esse, quòd ex virtute depromatur, quam illam, quæ ex arca, quoniam ipsum fontem benignitatis exhaurit, valde dubitamus, an hæc accuratè dicantur. Si enim est utraqve vera liberalitas, utraqve prudentiam, veramque virtutem præsupponit, utraq; ita se gerit, ne possessori fraudi sit.

Liberalitatem ponit & in dando, & in reddendo, quòd explicat his verbis: *Demus nec ne, in nostra potestate est: non reddere viro bono non licet.* Utiq; liberalitas, quæ in dando consistit, præsupponit voluntatem ab omni coactione civili liberam; sed quando quaritur de internis animi motibus, tunc omninò dicendum esse videtur, quòd ad liberalitatem exercendam obstricti simus, conscientia enim dictitat proximum debes adjuvare, egenti subvenire. Ex hoc, ni fallimur, fundamento provenit, posse à Magistratu

Offic. l. 2. c. 15.

Offic. l. 1. c. 15.

gistratu cogi subditos, ut certam pecuniæ summam ad alendos pauperes conferant, & quod antea non dederunt ex nomine liberalitatis, jam dare teneantur jure actionis. Altera species non tam ad liberalitatem, quam justitiam spectat, ut pro acceptis beneficiis vicissim gratus exhibeatur animus.

Offic. l. 1. c. 14.

Circa liberalitatem tria observanda esse monet: *Videndum esse primum, ne absit benignitas & iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, & cæteris: Deinde, ne major benignitas sit, quam facultas; tum ut pro dignitate cuiusque tribuatur.* Referamus exemplum, quod oculis nostris subjicitur: Rex Galliarum, ut Regem Sveciarum sibi devinctum haberet, multum auri profudit; jam Svecus Germanorum armis, & aliunde premitur: Non igitur est liberalitas, unde detrimentum affertur. Et verò qui tantam pecuniam cogit, qui alienas ditiones non solum, verum etiam proprias exuit bonis, quomodo liberalis erit? Alterum est, quod benignior, quam facultates Regni patiuntur; hinc oriuntur tantæ querelæ subditorum, quando extorquetur pecunia. Nonne autem melius esset, optimum ditissimumque habere Regnum, quam facultatibus, opibusque denudatum, & in milite tantam fiduciam collocare? Tertium est, quod non delectum, habet dignitatis, non enim digni sumus sunt, qui in res venereas & libidinosam vitam impenduntur. Si quilibet colendus, pro ut virtutibus est ornatus, in illo hominum genere vitium pro virtute numerandum esse videtur.

Offic. l. 2. c. 16.

Liberalitati in excessu opponitur prodigalitas: Sicut enim liberalitas sumtus confert in res necessarias atque dignas: ita prodigalitas nimios sumtus in res non necessarias profundit. Hoc discere licet ex sequentibus verbis: *Prodigi, qui epulis, & viscerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque apparatus pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nullam sint relicturi omnino.* Ex vitio seculi necessarium ferè videtur, ut conferantur sumtus pro amplitudine honorum, quò quilibet adspirare nititur. Quòd si enim

vacat

vacat munus, vix illud adipisci poteris, nisi patronum pecuniâ concilies. Tolerabilior esse videtur largitio in munere civili, quàm in ecclesiastico, ubi gravius est peccatum: DEUS enim huic sancto ordini singulariter præest.

In defectu liberalitas pro opposito habet avaritiam. Ex mente *Ciceronis* illi, qui Remp. tuentur, cavere debent, ne avaritiæ etiam minimam præbeant suspicionem. Quid hodie fit? vitium illud non occultatur, sed dona accipiendi publica est licentia.

Offic. l. 2. c. 21.

CAPUT VII.

De Amicitia.

EX virtutibus oritur amicitia. *Omniùm verò societatum, nulla præstantior est, nulla firmior, quàm cum viri boni amoribus similes sunt familiaritate conjuncti.* Duo requiruntur ad amicitiam colendam, primum est morum honestas, à qua viri boni appellantur, alterum morum similitudo, quæ efficit, ut unus aliò delectetur, & vel unicus ad spectus amorem conciliet: sed ut validus amor atq; constans maneat, non alia est causa, quàm virtus. Multum valet sanguinis jus, verum autem etiam illud est: *Fratrum quoq; gratia rara.* Unde illud? sapius parentes in hunc, quàm in alium magis propensi sunt, hinc ex liberorum parte concipitur odium, quod cum ætate gravius existit: nemo alteri cedere vult, & quoniam sanguine juris se pares vident, iniquè ferunt alterius meliorem sortem atq; fortunam; prætereà bona ex hæreditatis ratione dividenda litigia movere solent. Tale nihil metuendum est in illis, qui nobiscum sanguine juncti non sunt: quapropter in his, cæteris paribus, firmissima stare potest amicitia.

Offic. l. 1. c. 17.

CAPUT IIX.

De Libris Ciceronis ad Philosophiam Moralem spectantibus.

L

Sed

Sed non præter rem erit, seorsum singulos Ciceronis libros
 evolvere, nostrumq; ferre iudicium. Quinq; illi libri de
 Finibus Bonorum & Malorum agunt de ultimo fine, ad
 quem referenda omnia. Cicero mentem suam accuratò & co-
 piosò sermone explicat: *Quid sit enim in vita tantoperè quæren-
 dum, quàm cum omnia in Philosophia, tum id, quod his libris quæri-
 tur, quid sit finis, quid extremum, quid ultimum, quò sint omnia be-
 nè vivendi, recteq; faciendi consilia referenda, quid sequatur na-
 tura, ut summum ex rebus expetendis? quid fugiat, ut extremum
 malorum?* Vicissim: *Quærimus, quid sit extremum, quid ultimum
 bonorum, quod omnium Philosophorum sententiâ tale debet esse, ut
 ad id omnia referri oporteat: ipsum autem nusquam.* Summum
 enim bonum non acquiescit in fine intermedio, sed ultimo, ad
 quem referuntur omnia, ipse verò ad nullum aliud refertur. Ille
 finis necessariò datur. Homo enim quando agit, non frustra ope-
 ratur, sed aliquem sibi præfixum habet scopum. Ne autem in-
 infinitum vergant ipsius actiones, aliquando invenit, quò desi-
 derium satiatur, prout *Aristoteles* docet.

l. 1. cap. 4.

l. 1. cap. 9.

Ethic. l. 1. c. 2.

Librò primò Torqvatus pro Epicuro perpetuâ oratione
 disputans introducit. Et sanè gravem fuisse Philosophum
 Epicurum evincunt tot severissimæ sententiæ, quibus Senecæ
 epistolæ refertæ sunt.

Librò secundò sententia Epicurî refutatur. Ut nobis vi-
 detur ex ingenii lusu rejicitur, & Cicero non seriò agit, sed do-
 ctâ jucunditate in disputatione illâ capitur: hinc non dissimulat
 Epicurî laudem: *Quis vestrum non edidicit Epicurî $\kappa\upsilon\tau\iota\alpha\varsigma$ $\delta\acute{o}\xi\alpha\varsigma$,
 id est, quasi maximè ratas, quia gravissimæ sint ad beatè vivendum,
 breviter enuntiate sententiæ.*

cap. 7.

Librò tertiò à Catone Stoicorum secta defenditur, pro-
 lixè de principiis naturalibus differitur: quæ principia, si ad ho-
 minem accommodantur, non absq; ratione consideranda sunt,
 sed cum ratione conjungenda: *Appetitus animi non ad quodvis
 genus vite, sed ad quandam formam vivendi videtur data.* Est illa
 forma,

cap. 7.

forma, quæ apprehendit honestatem, turpitudinem fugit, atque ut summam phrasi Stoicorum rem exprimamus, convenienter naturæ vivere docet. Summum etiam bonum non collocandum est in principiis naturalibus, verum in illis potius, quæ subsequuntur, atque certâ ratione definita sunt; additur ratio: *Propterea, quod non inest in primis naturæ conciliationibus honesta actio.* Summum bonum quærendum est in anima rationali, non sensitiva, nisi velis bruta in consociationem summi boni recipere. Porro redarguit Peripateticos: *An certius quidquam potest esse, quam illorum ratione, qui dolorem in malis ponunt, non posse sapientem beatum esse, cum eculò torqueatur?* Sed non rectè explicat Peripateticorum sententiam. Omnino enim omnis dolor in se spectatus fugiendus est, atque malus esse censetur, adeoque summo bono contrarius; cum autem prudens vir pro patriæ salute sustinet dolores, vel etiam mortem, invictum ostendens animum, exinde lætitiâ potius, quam cruciatus sentit. Quando porro subsumit: *Cum tria genera bonorum sint, quæ sententia est Peripateticorum, eò beatior quisque sit, quò sit corporis, aut externis bonis plenior;* Conceditur equidem, quod alia sint bona animi, alia corporis, & alia fortunæ, sed negatur in duobus posterioribus consistere beatitudinem, quia sunt tantum instrumenta, quæ faciunt ad summum bonum consequendum, atque exercendum, hanc ob causam ex illorum multitudine non augetur summum bonum, nisi ex vulgi sententia loqui velis.

Libro quartò Catonis argumenta partim examinantur; partim refutantur. Libro quintò Peripateticorum de summo bono sententiam proponit.

Tusculanæ Quæstiones in quinque libros dispesci solent, quorum primus de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, tertius de ægritudine lenienda, quartus de reliquis animi perturbationibus agit; postremus denique virtutem sistit, & quomodo illa sufficiens sit ad summi boni possessionem. Senex autem confecit Tusculanas Quæstiones, quod ipse confitetur:

c. 6.

c. 13.

c. 6.

l. 1. c. 4.

tetur: *Ut enim antea declamitabam causas, quod nemo me diutius fecit, sic hac nunc mihi senilis est declamatio.*

Libri tres de Legibus injuriâ temporis manca prostant. Ostenditur in illis hominum mutua necessitudo, & quomodo optimè societas amicitia, quæ nihil aliud dicit, quàm alium eadem dilectione, quâ seipsum prosequi, contineatur. Adduntur varia monita, quæ originem juris naturæ attingunt. In primis enim in juris naturæ indagazione sollicitus est, statimq; initiò libri primi jus civile ad jus naturæ restringit.

cap. 4.

In secundo libro pergit in definiendo naturæ jure: *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenio excogitaram, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi, prohibendiq; sapientiâ. Ita principem legem illam & ultimam, mentem esse dicebat, omnia ratione aut agentis, aut vetantis DEI: ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, rectè est laudata. Est enim ratio mensq; sapientis, ad jubendum & deterrendum idonea.* Juris enim naturæ DEUS est auctor, qui nostris mentibus indidit notiones honestè vivendi, ut cognoscamus, quomodo erga DEUM vivamus, quomodo erga alios homines, quomodo erga nosmetipsos. Antequam peccaremus, omnium jurium solidam & expressam effigiem conspiciebamus: jam umbra & imagines apparent, easq; ipsas utinam sequeremur! Sed voluit divinum Numen hanc legem, hoc naturæ jus decalogò sanctissimò de novo promulgare; ut eò certius, meliusq; constaret de colenda honestate atq; fugienda turpitudine. Non enim decalogus à lege illa, seu jure naturæ, re ipsâ distingvitur, & ut in scholis loquimur, essentiâ: modus tantùm discrimen constituit. Rigor summus est, quem requirit decalogus, à nemine observatu possibilis; imo licèt homines actiones suas honestas in unum conferrent, tamen mensuram perfectionis, quæ requiritur, non adimplerent. Hinc patet, sub quo censu veniant opera gentilium: certè si ad rigorem juris naturæ revocantur, seu ad regulam æternæ legis examinantur, imperfecta sunt. Laudamus Aristidis just-

justitiam, Lucretiæ castitatem, quod actûs ipsos concernit, inde verò actio moraliter bona nondum probatur. Ut jam non minus Pontificii, quàm Syncretistæ redargui possint. Illi enim primos inordinatos motûs ab omni labe purgant, ac si à DEO in peccati reatum non imputarentur: Hi solis naturæ viribus bonum opus morale peragi posse, operosè, sed frustrà probant.

Tertius liber de magistratu civili agit, & inter alias memorabiles sententias hanc quoque recenset: *Non tantum mali est peccare Principes (quoniam est magnum hoc per se ipsum malum) quantum illud, quod per multi imitatores Principum existunt.* Seculi perpende mores, & non à veritate alienum dictum reperies.

Opus de Officiis admirabile prorsus est, atque inexhaustâ eruditione refertum, styli etiâ venustâ mediocritate valdè commendandum. Non graviolem testem sistere licet, quàm ipsum Ciceronem, quandò filio hoc suppeditat monitum: *Quamobrem magnoperè te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de Philosophia libros, qui jam se illis ferè æquarunt, studiosè legas. Vis enim dicendi major est in illis: sed hoc quoque colendum est æquabile, & temperatum orationis genus.* Et vicissim: *Habes à patre munus, Marce fili, meâ quidem sententiâ magnum.* Semper etiam magni habita sunt officia. Alexander Severus Imperator cum curis publicis vacuus esset, illorum lectione mirum in modum captus est: Idem de Ludovico XII. Galliarum Rege habetur, prout ex scriptoribus notissimum est; nec aliter dicendum de Illustrissimis Dominis à Friesen/quos Heroës ac Mæcenates divinum Numen Augustissimo Principi nostro, totiq; rei literariæ conservet, omniq; felicitate florere jubeat! Cæterum attento lectori patebit, poni sæpè incongrua vocabula, sensum esse suspensum, res præter necessitatem repeti, quod non tam auctori, quàm librariis, ex tot iterata scriptione, vitio vertendum est. Jam suò tempore de librariorum negligentia questus est Cicero: *De Latinis verò, quò me vertam nescio: ita mendosè & scribuntur, & veneunt.* Et quod bene observandum, loquitur Cicero haud

e. 14.

l. 1. c. 1.

l. 3. in fine.
Lamprid.
vit. A. Sever.
Paulo Emilio
Veronensi

Epist. Fam.
l. 3. ep. 5.

- l. 2 cap. 10. rarò ad communem morem, quod ipse fatetur: *alia est, inveni-
ens, illa, cum veritas ipsa limatur in disputatione subtilitas; alia,
cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio.* Lau-
dat equidè scripta sua, ac si nò multùm à Peripateticis *dissiderent:*
sed multùm distare, res ipsa loquitur, imò sine causa accusat
l. 1. cap. 25. Peripateticos: *Prohibenda maximè est ira in puniendo; nunquam
enim iratus qui accedit ad pœnam, mediocritatem illam tenebit,
quæ est inter nimium & parum: quæ placet Peripateticis, & rectè
placet, modò ne laudarent iracundiam, & dicerent utiliter à na-
tura datam.* Ubi verò apud Peripateticos legitur, iracundiam in
laude esse ponendam? Nonne Aristoteles iracundiam ubiq; vitu-
perat? At ira est affectus naturalis, à DEO nobis impressus, quem
qui criminatur, in ipsum DEUM impius est. Ponit cum Stoicis
quatuor virtutes, tam confundens omnem rem, ut ex schola Pe-
ripateticorum nullatenus prodiisse videatur. Nò agnoscit in re-
bus Moralibus certitudinem, sed tantùm probabilitatem: *Nos au-
tem ut ceteri, qui alia certa, alia incerta esse dicunt, sic ab his dis-
sentientes, alia probabilia, contra alia improbabilia esse dicimus.*
Aristoteles contra in Moralibus certitudinem amplectitur: dum
verò recentiores demonstrationes in his talibus asserunt, multa
inde oritur disputatio. Commentationes omnes recensere su-
pervacaneum est. Hier. Wolfii opera valdè placet. Addidit ante
paucos annos accuratam diligentiam Samuel Rachelius, in Ki-
loniensi Academia Professor Clarissimus, ex Peripateticæ do-
ctrinæ principiis rem illustrans, & sedulò vestigiis Grotii de Jure
B.P. insistens. Vellemus, ut in opere edendo de vera lectione ma-
gis sollicitus fuisset, & seriem capitum annotasset, ut facilius
lectori negotium exhiberet.

c. 9.

Totum opus dispescitur in tres libros. Primus liber agit de
honesto & inhonesto, ubi in observanda honestate laudat illo-
rum sententiam, *qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum
sit, an iniqum.* Definiunt aliàs conscientiam dubiã, quã intelle-
ctus hæret, utrùm actio honesta, an inhonesta sit: cumq; intellectus
alius

alius sit theoreticus, alius practicus, hinc etiam distingvitur inter dubitationem theoreticam, & practicam; illa de re universali ambigit, hæc de re singulari. Qvanqvàm, si verum dicendum, cōscientia dubia improprie de hoc nomine participat. Ratio: conscientia judicat fieri aliquid, an omitti debeat; at ubi omne iudicium exulat, neque in ullam partem datur assensus, ibi conscientia non inveniet locum. Aliter fieri solet in conscientia probabili & erronea: Illic datur assensus, licet cum formidine oppositi; hic intellectus assentire non refragatur, dum verum intellectus iudicium caligine obductum est. Sicut autem divisio in conscientiam theoreticam & practicam satis bona est: ita absurditate non caret, qvando statuitur, iudicium theoreticum posse esse incertum, practicum certum, vel probabile. Mutuus enim hic datur consensus, dum theoreticum iudicium remotum, practicum proximum actionum humanarum est principium, ut unum alteri quasi subordinetur. Dubitet Antonius in iudicio speculativo, an rem furto alienatam liceat emere, an non: in iudicio practico tunc non certus erit, an hanc vel illam rem furto alienatam liceat emere.

Secundus liber tractat utile & inutile. Ubi rerum utilium talem subministrat divisionem: *Quæ ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanima, ut aurum, argentum, ut ea, quæ gignuntur è terra, ut alia ejusdem generis: partim animalia, quæ habent suos impetus & rerum appetitus.* De divisione illa iudicet eruditus lector; certè, si examinetur ex Peripateticæ disciplinæ principiis, rejicienda omnino est.

Tertius liber comparisonem exhibet honestorum, item utilium. Unam actionem honestiorem esse aliã, unamque rem superare utilitate aliam, evidentia vitæ civilis demonstrat.

Adjungendus est Ciceroni divus Ambrosius Episcopus Mediolanensis, Confessorq; sanctissimus, qui totidem de eadem materia libros posteritati reliquit. Ipse instituti sui rationem his verbis exponit: *Si de officiis quidam Philosophi & studentes scripserunt, ut Panætius, & filius ejus apud Græcos; Tullius apud Latinos;*

non

6. 3.

l. 1. c. 7.

non alienum duxi à nostro munere, ut & ipse scriberem. Et sicut Tullius ad erudiendum filium, ita ego quoque ad vos informandos filios meos. Non enim minus vos diligo, quos in Evangelio genui, quam si conjugio suscepissem. Non enim vehementior est natura ad diligendum, quam gratia. Plus certè diligere debemus, quos perpetuò nobiscum putamus futuros, quam quos in hoc tantum seculò. Illi degeneres nascuntur frequenter, qui dedeant patrem: vos antè elegimus, ut diligamus. Edidit hunc librum præclarà præfatione magni nominis Vir Bœclerus. Ambrosii verò & Ciceronis officia, respondentibus è regione paginis prodire Moguntiaè initiò hujus seculi annò secundo.

Dialogus de Senectute, qui Cato Major inscribitur ad hanc Philosophiam pertinet, habet ejusmodi monita, quæ & senes & adolescentes concernunt.

Neque omittendus Dialogus de Amicitia, quod vel ipse titulus probat. Amicitia enim ex morum honestate conciliatur, & concentum quasi virtutum omnium complectitur. Ultra gentilem Philosophiam ascendit, quandò ait: *Non assentior iis, qui hæc nuper differere ceperunt, cum corporibus simul animos interire, atque omnia morte deleri.* Cur virtutibus studendum, si hæc caduca vita, non immortalem speraret, si Deus justos justis præmiis non afficeret, qui ex virtutis (intelligimus Christianam virtutem) decore sese gesserunt? Quæ sententia uti satis bona: ita multum vitii continet illa, quâ impiis nullam poenam, nullum cruciatum post mortem metuendum esse, asseritur: *Nam nunc quidem, quid tandem illi mali mors attulit? nisi fortè ineptis ac fabulis ducimur.*

Orat. pro A.
Cluentio, c.
61.

Ultimò huc referuntur *Paradoxa*, in quibus mera Stoica reperiuntur; id quod præfatione ad *M. Brutum* ipse docet, ostendens, ab ipsis Stoicis ideò & *ἄδοξα* appellari, quòd sint *admirabilia*, contraque opinionem omnium, sibi verò & maximè *Socratica* ea videri, & longè verissima.

De

De reliquo nullum est dubium, periisse quosdam hanc Philosophiam concernentes libros. Allegantur libri sex de Rep. in quibus veterum more non de civitatis solum regimine, sed etiam virtutibus moralibus multum disputavit, quod fragmenta probant. Somnium Scipionis, quod continetur in ultimo libro integrum esse videtur. Ibi supra sortem & captum gentilis hominis ascendit, quando prudentibus civitatum rectoribus certum in caelo locum adscribit, ut beati ævò sempiternò fruantur; hancq; vitam mortalem esse atq; caducam, alteram immortalem atq; æternam. Sed quò jure, Marce Tulli, Stoicorum de *ἀποχρησία* opinionem supra approbasti, dum jam ais: *Piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis: nec injussu ejus, à quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est?* Qui secum solus rem considerat, melius sæpè dijudicat, quid sit agendum, vel omittendum in vita humana, quam si alios sequitur, atque præconceptâ opinione certæ sectæ adhæret. Quamquam non mirum, hominem gentilem, jam in hanc, jam in illam delatibi sententiam, dum tot utrobiquè invenit propugnatores, assertores, doctores, ut si auctoritatem respiciat, semper incertus maneat. Ad justitiam colendam præclarus est locus, qui vicissim aliquid altioris Philosophiæ sapit: *Sic Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, justitiam cole, & pietatem: quæ cum sit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima est: ea vita via est in caelum.* Sed longè alia est justitia, quæ ad caelum atq; beatitudinis æternæ sedem ducit, quam illa moralis, cujus beneficiò vel maximè conservatur omnis hominum societas. Et te ipsum, Cicero, deceptum esse nimio dolore sentis, atque jam antè certus fuisti, *impios deprimi in tenebras atq; in cæna jacere.*

Hortensius seu liber de Philosophia propriè huc spectat, mentionem ejus ipse facit: *Philosophia vituperatoribus satis responsum est eò librò, quò à nobis Philosophia defensa, & collaudata est, cum esset accusata, & vituperata ab Hortensio.* De qua verò Philosophia loquatur, satis indicant fragmenta, atq; imprimis locus meretur annotari, quem allegat Augustinus, ubi voluptas tanquam

M

c. 3.

c. l. 1.

l. consol.
quod fragm.
reperit. Lact.l. 3. c. 19.
Fin. l. 1. c. 1.l. 4. contra
Pelag.

tanquam vitium pessimum vivis coloribus depingitur: An verò voluptates corporis expetenda, quæ verè, & graviter à Platone dictæ sunt illecebræ, atq; escæ malorum? quæ enim est confectio valetudinis, quæ deformatio coloris, & corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non evocetur, atq; eliciatur voluptate? cuius motus ut quisq; est maximus, ita est inimicissimus Philosophiæ. Et quæ alia prolixò ordine hanc sententiam elegantissima sequuntur verba.

Offic. l. 2. c. 9.

Neque omittendi duo libri de Gloria, quod vel ex ipso nomine patet. Gloria enim est virtutum comes, atq; studere solent homines morum honestati, & laudabiles suscipere actiones, ut inde bonam famam, & gloriæ decus sibi comparent. Cicero ipse lectorem ad hos libros ablegat: Nunc dicamus de gloria, quantum quàm ea quoq; de re duo sunt nostri libri. Forsan etiam, quæ in libris illis de gloria prolixè disputavit, hîc in Officiis ad angustiam redigit, ut nihilominus summam omnem doctrinam complexus sit.

l. 3. contra Acad.

Liber de Virtutibus, qui propriam quoq; hîc loci inveniret sedem, planè est deperditus. Si superstes foret, multum sine dubio faceret ad antiquitatem explicandam, & eruendam, atque nescimus, Philosophia Moralis, quantum inde decus haberet.

Libros Academicos esse nominandos, non una ratio svadet, & locus qui longâ serie extat apud Augustinum idem evincit, quando Philosophi inter se comparantur, & laus Academicis deferretur. Ut putamus totam Academicorum Philosophiam Moralem accuratè explicuit, dum & ipse multum favet Academicis.

De libris, quos Legum nomine inscripsit, non aliter iudicandum, quàm de libris Remp: concernentibus. Traditum esse in illis, quid honestum, quid turpe sit, ut inde incolumitas civitatis conservetur, nemo dubitabit, qui veterum philosophandi morem cognitum habet. Attamen simul concedendum erit, in hîc talibus conscribendis multum adjumenti præstitisse Platone.

CAPUT IX.

De Ciceronis Præceptoribus atq; Doctoribus.

Sun

Summum fuisse in Cicerone ingenium, & admirabili quodam ad Philosophiam studio concitatum, res ipsa probat. Non autem sine præceptore atq; doctore, uti hodie multi faciunt, studiis suis pessimè consulentes, ad Philosophiæ culturam accessit. In pueritia institutorem habuit *Phadrum*, qui illi ut Philosophus valdè probabatur. Postea principem Academiae *Philonem* nactus est; cum enim ille bellò Mithridaticò Athenis profugisset, Romamq; venisset, singularem invenit doctorem *Cicero*. Fuit quoq; cum Stoico *Diodoto*, quem nunquam à se dimisit, à quo cum in aliis rebus, tum studiosissimè in dialecticà exercitus est. Magnam diligentiam in addiscenda Logica adhibendam esse, addiscerent illustri hòc exemplò, nonnulli superstitioni, qui notitiæ Moralis secutores jactitant, & Logicam, uti indignam suis nominibus disciplinam planè rejiciunt. Quamquam Philosophus noster alium etiam sibi præfixum habuit scopum, nimirum ut inde eloquentiam suam augetet. Athenis summum doctorem habuit *Antiochum*, veteris Academiae nobilissimum, & prudentissimum Philosophum. Ibi etiam *Phadrus* & *Zenonem* frequenter cum Attico audivit. Hic *Phadrus* à priore est distingvendus: neq; enim Romæ, sed Athenis docuit, neq; illum puer audivit *Cicero*, sed cum jam ad judicii maturitatem pervenisset. Rhodi audivit *Posidonium* Philosophum, illum ex Stoica secta prodiisse, sequentia probant, quando ait: *Nihil agis dolor: quamvis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum*. Ex quo perspicuum, ni fallor, est, habere incitamentum Philosophiæ cultores, ut doctoribus se tradant, neq; proprio studio omnia investigare audeant. Imo, qui aliquando multum sapere, & re ipsa prudentes esse volunt, commodissimè faciunt, si omnis generis doctores audiant, atq; suo judicio postea veritatem à falsitate discernant.

Cum Philosophiæ studio eloquentiam conjunxit. Puer adolescentulus scripsit de arte oratoria, quod ipse testatur. *Diodoto*, & ejus artibus variis, atq; multis ita erat tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. Athenis

l. 3. ep. 1.

Brut. c. 89.

Nat. Deor.

l. 1. c. 3.

Brut. c. 90. l. 9.

ep. 4. l. 13. ep.

16. Tuscul. l. 15.

c. 39.

Brut. c. 91.

Fin. l. 1. c. 5.

Tuscul. l. 2.

c. 25.

Orator. l. 1.

c. 2.

Brut. c. 90.

Brut. c. 91.

apud *Demetrium Syrum*, veterem & non ignobilem dicendi magistrum studiosè exercebatur. Cum totam peragrasset *Asiam*, innotuit summis Oratoribus *Menippo Stratonicensi*, *Dionysio Magneti*, *Æschylo Gnidio*, *Adramiteno Xenocli*. Rhodi ad *Molonem* haud vulgarem & Philosophum & Oratorem se applicuit. Equidem omnibus magna illa ingenii felicitas non contingit, ut tam excellentes & Oratores & Philosophi evadant: nihilominùs in quantum aliquis Philosophi nomen tueri vult, non omnimodò omnem eloquentiæ ornatum respuere debet. Atque præsertim hoc cogitabunt, qui actionibus operam dant, morumq; honestatem vel scriptò, vel ore explicant. Qui enim speculativus est, atq; contemplatione delectatur, faciliùs excusatur, si non ubiq; elegantiam vocum sectatur. Modò absit superbiæ nomen, ac si peculiare haberes jus, peculiare privilegium, rem obscuram obscuris atque incognitis terminis proferendi.

CAPUT X.

Cicero virtute ad summos pervenit honores.
Additur exilium atq; mors.

Orat. pro
Planc. c. 21.

Quomodò autem ex morum honestate se gessit Cicero? Respondet ipse pro se: *Primum ut honore dignus essem, maxime semper laboravi; secundò ut existimarer: tertium mihi fuit illud, quod plerisq; primum est, ipse honos.* Rectè agit, qui ex virtutum cultura quærit honorem, neq; aliunde sibi conciliare audet. Unicum enim honoris fundamentum virtus esse debet. Stude virtuti, omnibusque in actionibus decus observa, & quasi ex consalutatione accipies honorem.

Orat. pro
Planc. c. 26.

Ex virtutis nomine primùm *Quæstor* est factus, illudque officium honestè & decorè administravit: *Non vereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quæsturam, aut gratiorem, aut clariorem fuisse. Verè mebercules hoc dicam: sic tum existimabam, nihil homines unquam aliud Rome, nisi de quæstura mea loqui. Erumenti in summa caritate maximum numerum miseram: negotiato.*

gotiatoribus comis, mercatoribus justus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus. Enarrat bene virtutes, quæ observandæ à magistratu sunt. Comitas, justitia, liberalitas, abstinencia, diligentia in munere obeundo recensentur: His additur cura, ne annonæ caritate premantur subditi. Ut larga frumenti copia suppetat & incolis, & militibus, valde hæctenus solliciti fuere Principes. Hinc non nisi speciali concessio ex POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI regionibus exportatum est frumentum.

Posteà ad ædilitiam dignitatem promotus est: *Pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus, nostrò quidem annò, quod contigit eorum nemini, quos modò nominavi, sane exiguus sumtus ædilitatis fuit. Non munere, sed virtute consecutus est amplissimum illum honorem. Hodiernum seculum vitiò haud caret, dum pecunia facilem ad honores facit accessum, & qui pecuniosus atq; liberalis est, in marsupio circumfert virtutem.*

Offic. l. 2. c. 17.

Ædilitium verò munus ita describit Cicero: *Sunt Ediles curatores urbis, annonæ, ludorumq; solennium, illisq; ad honoris amplioris gradum is primus esto.*

Leg. l. 3. c. 3.

Ædilitatem excipit prætura: *In hoc spatio, & in iis post ædilitatem annis, & Prætor primus, & incredibili populari voluntate sum factus.* Dicitur Prætor primus, quoniam primò loco factus est, ex octo illis, qui tum creabantur. Deprehendis iterum virtutis splendorem.

Brut. c. 92.

Memoratu dignum exemplum est, quod sub Ciceronis prætura exhibuit C. Licinius Macer, ille enim, referente Valerio Maximò, repetundarum reus, dum sententiæ diriberentur, in Manianum conscendit, misit ad Ciceronem, qui diceret, se non damnatum, sed reum periisse, nec sua bona hastæ posse subjici. Ac protinus sudariò, quod fortè in manu habebat, ore & faucibus coartatis, inclusò spiritu pœnam morte præcurrit. Quæ cognitâ re Cicero de eo nihil pronuntiavit. Videre hic licet

L. 9. c. 12.

Leg. 1. 3. c. 3.

primùm vigilantiam Ciceronis, Prætoris, qui se diligentem præbuit judicem, deinde successu temporum mutati statûs & Reip. variationem. Cùm enim Roma libera esset mitiùs de fama & bonis eorum, qui se metu criminis interfecissent, actum est, quàm sub Principibus. Quis Prætor apud Romanos dicatur ex sequentibus constat: *Juris disceptator, qui privata judicet, judicari ve jubeat, Prætor esto. juris civilis custos esto. Huic potestate pari quocunq; Senatus, creverit, populus ve jusserit, tot sunt.*

Orat. 2.
Agrar. c. 2.

Ultimus & summus honor est consulatus: *Est illud amplissimum, quòd hòc honore ex novis hominibus primum me multis posthabitis affecistis, quòd primà petitione, quòd annò meò: sed tamen magnificentius atq; ornatius esse illò nihil potest, quòd meis comitiis non tabellam vindicem tacite libertatis, sed vocem vivam præ vobis indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum tulistis. Me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus: neq; singula voces præconum, sed unà voce universus populus Romanus Consulem declaravit.* Consulatus ille administrabatur cum senatus consiliò, cum libertate populi, adeoq; multùm differt à schemate, quod ab Augusto adornatum est. Hòc tempore P. Servilius Rullus, Tribunus plebis, legem agrariam promulgavit, ut Decemviri summo cum imperio crearentur, qui in sua potestate Italiam totam, Syriam universam, eaq; omnia, quæ virtute Pompeji recens Imperio Romano adjecta erant, haberent; venderent quidquid publicum populi Romani esset, judicarent de omnibus, de quibus ipsi vellent, exules ejicerent, colonias deducerent, pecuniam ex ærario caperent, milites, quot opus haberent, conscriberent, & alerent; prout capita legis agrariæ refert *Plutarchus*, quem auctorem ut Historicum simul æstimandum censemus.

Præf. Cicero-
nis.

Bene Respublica administratur, cùm Philosophi præsumt, atq; aurea planè est vox, quam edidit Plato: *Tum deum beatas civitates fore, cùm aut regnarent Philosophi, aut Reges*

ges



ges philosopharentur. Illa Philosophia sese non ad differendi subtilitatem, neq; ad investigationem occultarum in natura rerum, sed ad virtutem sese refert, quam Rerumpublicarum moderatores ex Platonis sententia colere, exercere, atque propagare debent. Imperium Romanum ad tantam magnificentiam atq; amplitudinem Heroibus illis, qui justitiam, fortitudinem, liberalitatem, & omnem deniq; virtutem coluere, pervenit, ut ipsæ exteræ gentes superari à talibus viris, quam superare alias, gloriosius existimarent. Equidem Camilli, Curii, Fabricii, Fabii, Scipiones, cæteri q; præstantes viri, quos Roma tulit, de Philosophia nihil scripsere: attamen factis, non verbis, moribus, non sermonibus philosophabantur. Tuq; ipse, Cicero, si stetit Respublica, quò cœperat statu, tantum operæ, & temporis in describenda Philosophia non consumsisses, quod ipse fateris: *Utinam Respublica in homines non tam commutandarum rerum, quam evertendarum cupidos incidisset. Primum enim, ut stante Rep. facere solebamus, in agendo plus, quam in scribendo opera poneremus. Deinde ipsis scriptis non ea, quæ nunc, sed actiones nostras mandaremus.* Simul & illud inclarescit, honestatis, atq; utilitatis rationem in regenda civitate non esse divellendam: bonus enim vir, & utilis patriæ civis bene convenire possunt, imodebent. Roma per illud tempus, quò virtuti operabatur, optimè floruit, cum avaritia, injustitia, ambitio irreperent, ruebat, & de felicitatis statu magnò impetu deturbabatur.

Offic. l. 2, c. 1

Utile etiã est Reip. per gradus ad dignitates ascendere. Sicuti n. natura saltum facere nõ solet, ita neq; ad arduas res gerendas, summumq; capessendum regimen statim aptus eris. Prius in minoribus curationibus, magistratibusq; prudentem ac diligentem te præbe, tunc ad majores summosq; honores pervenienti, aperta erit via.

Quod verò porro præmium bene administratæ Reipublicæ tulit Cicero? Exilium. Vicissim ipse pro se loquatur: *Civis*
(intel-

Orat. pro P.
Sext. 6. 24.

(intellige Ciceronem) erat expulsus, is, qui Rempublicam ex Senatus auctoritate cum omnibus bonis defenderat, & expulsus non aliò aliquò, sed eò ipsò crimine. Erat autem expulsus sine iudicio. Nefariè enim convenerant Piso, Gabiniusq; Consules, & Clodius Tribunus plebis, beluæ veriùs, quàm homines dicendi, omnibus modis laborabant, ut è medio tollerent Ciceronem, quod cum fieri sine multorum strage non posset, urbe cesit, neq; servis armatis bonorum vitam objecit. Retinuit verò in exilio etiam magnum animum. Nam Philosophia magnam in hominum animis efficit firmitudinem, quam nullus infortunii turbo convellere, ac labefactare possit. Illò tempore Ciceroni non amicissimos fuisse Cn. Pompejum, atq; Cæsarem satis manifestum est: uterq; multum valebat & auctoritate, & potestate, atq; si ambitionis studium abfuisset, forsitan patriæ conservator patriam relinquere non coactus fuisset.

Orat. pro P.
Sext. 6. 20.

Non igitur quadrat in illos, quod Cicero, de teipso prædicat: Si mihi in aliquà nave cum meis amicis naviganti, hoc, iudices, accidisset, ut multi ex multis locis prædones clasibus eam navem se oppressuros munitarentur, nisi me unum sibi dedissent, si id vectores negarent, ac mecum simul interire, quàm me tradere hostibus mallet, jecissem me ipse potiùs in profundum, ut ceteros conservarem. Alia est vera, alia fucata amicitia. Illa vel maxime in adversis rebus juvare vult, atq; oppressum amicum erigere conatur: hæc non nisi rebus jucundis delectatur, atq; ad voluntatem nostram fluentibus, tunc testatur, & offert omnem studiorum promptitudinem. Seqvebatur ergo ut lamentareris: *Vides me omnibus amplissimis, carissimis, jucundissimisq; rebus perfidiâ hominum spoliatum; vides me à meis consiliariis proditum & projectum.* Ultimò, nefandâ morte peremptus

Hist. 9. Rom.
l. 2. c. 66.

est Cicero, quam præ aliis auctoribus graviter describit Paterculus. Hic est exitus clarissimi Consulis Reipublicæ Romanæ, qui patriam moribus instituit, qui virtutem & coluit, & alios colere iussit.



Reside me, partes dum Respondentis
obibus,
Doctrina ut tractes nobilioris opus:
Applaudit meritò Tibi nostra Camoena,
Bobeme,

Applaudit Patria, precipueq; Patri.
Antiquà quem fama Virum virtute celebrat
Quemq; uno extollunt laudibus ore Boni.
Atq; adeò quem Tute probas Probitate, fideq;
Dumq; artes vigili sedulitate colis.
Nam generosa suos exurgunt semina in ortus.
Et Gnato Virtus Patris inesse solet.
Sed magis exactè referes, ubi strenuus orsis,
Præclarè institeris, quod facis ipse, Tuis
Sic igitur facias, mecum sic scande Cathedram
Sic Patria parias commoda multa Tue.
Sic porrò facias concessaq; munera prome,
Sic Patri paries gaudia multa Tuo.

PRÆSES.

Ignea quem Virtus, quem pellit ad æthera tendens
Spiritus, is tricus non delectatur, amatve,
Quod bona mens censet vulgare; sed ardua quærens,
Quæis cupidam docto figat conamine, mentem
Obvia nil profunt, inquit, vix digna legi sunt.
Hujus in exemplum nobis, Te sistis, Amice,
Quæq; suis scriptis Cicero reliquerit orbi
Semina Virtutum, in Cathedrâ monstrare laboras.
Sic meritò applausus nostros, sic vota mereris
Doctorum, qui, cedat opus feliciter, optant!

Gratulab. deprop.

M. JOH. FRID. Weiner.



PRÆSES





94 A 7382

ULB Halle 3
002 183 692




Sb.

VD 17

21.7.99 Bd. 1







72

Q. D. B. V.

CICERONIS
PHILOSOPHIAM

MORALEM,

In Electorali ad Albin Academiã,

SUB PRÆSIDIO

JOH. CHRISTOPHORI

Sugmann /

Publico Eruditorum Exãmini

D. 16. Februarij Anno M. DC. LXXVIII.

listit

RESPONDENS

THEODORUS *Böhme* /

Krögenſis Miſnicus

In Auditorio Majori

Horis Antemeridianis.



WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.

